

X a  
4317



I



GENIUS  
 REVERENDISSIMI SE-  
 RENISSIMOQUE PRINCIPIS  
 AC DOMINI

DN. AUGUSTI,  
 PRIMATIS GERMANIÆ,  
 ARCHIEPISCOPATUS MAGDEBUR-  
 GENSIS POSTULATI ADMINISTRATORIS,  
 DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC  
 MONTIUM ETC.

PATRIS PATRIÆ  
 PIENTISSIMI  
 MAGNANIMI  
 NEC NON  
 FORTUNATISSIMI

IN IPSIS NATALIBUS  
 DIE XIII. ~~IDUUM~~ AUGUSTI  
 A. C. MDC LXXI.  
 LVII. VICE REVERTENTIBUS

IN  
 ALMA PHILUREA LIPSIENSI  
 EJUSDEMQUE  
 MAJORI PRINCIPUM COLLEGIO  
 SOLENNITER DELINEATUS

AB  
 HEINRICO DAUDERSTADIO,  
 FRIBURGENSE THURINGO.

LIPSIÆ,  
 STANNO COLERIANO.

BIBLIOTHECA  
 PONICKAVIANA



AUGUSTISSIMI NOMINIS  
CELSISSIMAE POTESTATIS  
GLORIOSISSIMÆ VIRTUTIS  
REVERENDISSIMAE SERENITATIS  
PRINCIPI AC DOMINO

**DNO. AUGUSTO,**

JUSTISSIMO, MUNIFICO, PACIFICO

PATRI PATRIÆ

D.G. PRIMATI GERMANIÆ, ARCHI-EPISCO-  
PATUS MAGDEBURGENSIS ADMINISTRA-  
TORI POSTULATO

NEC NON

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC MON-  
TIUM DUCI &c.

Exorato à Summa Majestate PRINCIPI  
CONSTANTISSIMO

VIRTUTUM

AVITARUM, PATERNARUM, FRATERNARUM  
ÆMULO.

IMMORTALIS GLORIAE HEROI  
PRINCIPI AC DN. CLEMENTISS.

Has

Declarandæ

Obsequentissimæ Gratitude,

Devinctissimi Obsequii,

Devotissimæ Subjectionis

Primitias

Exilem obscuri ingenii Partum

Perpetui cultus integerrimum obsidem

humillimâ Manu, Mente devotissima

D. D. D.

Henricus Dauderstadius

**N**on diu est, Rector hujus Academiae Magnifice, Vosq; caeteri Viri Magnifici, Admodum Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Amplissimi, Experientissimi, Spectabilis, Excellentissimi, Clarissimi, Per Eximii: Dn. Patroni, Evergetae ac Fautores aeternum venerandi, colendi. Tuq; ad summa surgens Nobilissimorum, Eruditissimorum & Humanissimorum Studioforum florentissima caterva. Non diu est, inquam, quod feralis quoddam ac funestum peripetasma Regionem hanc post Clementissimi Principis ac Dni, Dni. AUGUSTI, Primatis Germaniae, &c. Conjugis beatissimae mortem insperatam obtexerat. Vix tristis campanarum clangor excesserat auribus, vix mœroris publici signa sublata erant & libitina cum suppellectile convoluta & seposita, cum ecce! novus mœror ex Serenissimi Principis nostri Filiae, ANNA MARIAE piensissimae imaturò obitu conceptus, animos denuo obnubilaret. Nec enim quengquam nostrum tam ferreum ac tam alienum ab omni humanitate existimo, quin sensu doloris quodam in luctu illo communi, qui vitalia ipsa tanti Principis petere videbatur, corruptus fuerit ac conturbatus. Verum enim verò cum varendum mihi valde sit, ne vel sola mœroris mentione felicitati praesentis diei obscurare velle videar, valere jussis feralibus ac tristibus omnibus, quae ne nominare quidem Veteres in publicis gaudiis solebant, ad plausus potius ac festas gratulationes stylum divertam. Et ecce jubila post nubila! ecce festum diem post tot, mœstos ac funestos feliciter illucescentem!

ecce, inquam, tristitiam amabili quadam μεταμορφώσει  
in gaudia solennia transfersam! Hæc enim dies est,  
quæ Reverendissimum ac Serenissimum Principem  
ac Dominum, Dn. AUGUSTUM, Primate[m] Ger-  
maniae, Archiepiscopatus Magdeburgensis postu-  
latum Administratorem, Ducem Saxoniae, Juliae,  
Cliviae ac Montium, Landgravium Thuringiae,  
Marchionem Misniae, nec non superioris ac infe-  
rioris Lusatiae, Comitem in Marca, Ravensburgo &  
Barby, Dynastam in Ravenstein &c. Dominum & no-  
strum & hujus Academiae Clementissimum &c. non  
fato, casu vè, sed numine quodam terris dedit; hæc  
dies est, quæ post felicissimas revolutiones jam quin-  
quagesima septima auspicato sidere nunc illuxit;  
hæc, inquam, est dies, quam fecit Dominus, exulte-  
mus & lætemur in eo. Ego sanè, qui immensum be-  
nignitatis flumen ex uberrimo hoc fonte derivatum  
in studia mea submississima & gratissima cum recor-  
datione agnosco, in publicâ hac lætitiâ, atq; adeo in-  
ter ipsa hujusce diei gaudia, torpescere Pietatem me-  
am haud patiar, quin ultrò & solo devotissimo affe-  
ctu stimulatus per medios quasi congratulantium  
cætus erumpens in Augustissimum Tuum, AUGU-  
STE, conspectum prodire conabor, Tibiq; adeo de fe-  
licitate hujus lucis ipse tripudiabundus ac lætibun-  
dus oratiunculâ, quamvis calamistris verborum mi-  
nimè ornatâ aut cothurnatâ, submissò cultu ac vultu  
gratulabor. Et ne prolixâ garrulitate publici gaudii  
interturbare impetum videar, saltuatim saltem cæ-  
lestissimas Tuas Virtutes, quibus undiq; ceu radiosissi-  
mus

mus quidam Phœbus emicas, percensebo. Nam propius accedere ad intima divinæ Mentis Tuæ penetrabilia, tantum abest, ut homini tam tenuis ingenii liceat, ut acies etiam subtilissimi cujusq; his tantis luminibus prægravetur & obtundatur. Quare cum pari sermonis genere, tam illustres, Heros Maxime, Virtutes æquari posse desperem, humillimo, quod & heic facere videtur, & impari orationis genere institutum meum persequar. Tu Serenissime Princeps, benignè veniam dabis balbutienti, & pietatem spero non improbabis, quæ devotâ magis ac gratâ mente, quàm pompâ verborum approbare se Tibi satagit. Oro autem & Vos Auditores, rogoq; per eam, quâ & ipsi Celsissimo Nutritori vestro obstricti estis observantiam ac submissionē, ut in Natalitiis hisce sacris balbutienti mihi, cui nec paupertas oris differendi facultatem tribuit, nec ipsa Svada dapilem facundia copiam subministravit, lingvis animisq; faveatis. Sed unde dicendi initiū sumā, Princeps Celsissime? Multa paucis dixerim, si & Tibi Te salvum gratuler, & Nobis. A Tua enim salute, nostra descendit felicitas, & quicquid optabilem jucundamq; nobis vitam reddit, post DEUM providentiæ id Tuæ debetur totum. Scimus quippe quanti intersit subditis bonum Principem nasci, quàm majoris, conservari. Sicut enim Principibus florentibus floremus pariter, ita sublatis illis & nos periclitari necesse est. Ubi autem Principis pietas, ibi subditorum obedientia, ubi obedientia, ibi amor, ubi amor, ibi benedictio DEI; ubi hæc, ibi certissima Sacro-Sanctæ Trinitatis heredi-

reditas. Quæ omnia cum in Te Excelsissime Prin-  
ceps fulgidissime exsplendescant, & Tibi gratulamur  
merito, & nobis. Sed nobis præcipue, quos tam Au-  
gusto, tamq̃ benigno Principe DEUS DEORUM  
beavit, ut merito hinc cum subditis omnibus unani-  
miter exclamemus: AUGUSTISSIME AUGU-  
STE, DEUS TE NOBIS SERVET, NO-  
STRA SALUS, VERE DICIMUS, JURA-  
TI DICIMUS. Hic enim est Minister <sup>Dei</sup>. Hic est Ju-  
ris Custos & Æquitatis Sacerdos. Hic propria subdi-  
torum postponit comodis, eisq̃ prospicit. Hic Clemen-  
tiâ suâ Dei imitatur Benevolentiam, & rerum com-  
muniū utilitatem diligentissime procurat, nec per-  
ferre facile potest, ut subjecti suo inquietentur impe-  
rio. Unico verbo est Anima Reipubl. & verus Pater  
Patriæ. Hinc etiã Sacro-Sancta Trinitas erit Ipsius  
Hereditas. Habemus autem vel ideò DEO gratias  
agendi causam longè uberrimam, quod talem nobis  
Principem dederit, qui tot lectissima Pignora & au-  
ctæ, diffusæq̃ Stirpis benedictum exemplum dedit, ut  
adeò spes successorū in Mascula Prole supervivente  
frustrarinos non queat facile. Maximum enim DEI  
beneficium est, si paternis in aulis parvuli Æneæ lu-  
sitent, & si liberi suis succedunt parentibus. Reperi-  
untur equidem Politicorum non pauculi, qui Electi-  
onem potiore esse contendunt, & quibus semper in-  
perplexo est, an adigi populum præstet ad unius Fa-  
miliæ servitutem, an jus illi relinquere ex omnibus  
civibus optimum deligendi. Sed quantum boni inter-  
sit publici, ut Principibus nascantur potius heredes  
quam



quàm successores surrogentur, nullus mentis sanioris  
sanctiorisq̄ est, qui non intelligat; nullus qui non jure  
meritoq̄ DEO pro largâ benedictione & ore & cor-  
de ardentissimas referat gratias, quòd non unum, sed  
plures Serenissimo Domino nostro concesserit Suc-  
cessores, qui omnes bene educati & de quibus optima  
quæq̄ sperant subditi, unico verbo, qui veri sunt Illu-  
strissimi Parentis Æmuli. Magna sanè est felicitas,  
quod ita lisdem perpetuò utitur, ut nihil in lis, quòd  
quereretur, unquam inveniat? Tanta enim Illorum  
in Patrem pietas, tam incorrupta & constans reve-  
rentia est. Non rarò aliàs natorum cupiditates  
Parentes habent miserrimos, & atrocissimas conci-  
tare solent procellas, cum paternam fortunam præ-  
cipere, quàm expectare malunt. Hic quieta, hic  
placida, tranquillaq̄ omnia, & tantum semper obse-  
quium, quantum nec in privatorum Larium medio-  
critate usq̄ quaq̄ invenias. Nimirum nemo non vi-  
det remunerationem hoc esse aureæ Pietatis & Con-  
stantiæ Principis nostri, cum DEUS non omnes sed  
pios demum, quorum ædes ampliari promisit, ita re-  
munerari consueverit. Quibus de Virtutibus alia-  
rum plurium veluti contubernio gaudentibus nunc  
paulò plura dicere institui.

At quib' encomiis pietatē Ejus celebrē? Jamne quid  
veritatē sensus de Deo corrūperet, ne qua sanctissimā  
fidem nostram ac verè catholicam manu astute sub-  
vertere conaretur perfidia, quæ vigilantia Illi & in-  
tentissima cura perpetuo est? Mittit, qui ritus omnes  
ac ceremonias inspiciant, Sacerdotum vitam, mores

in-

institutaq; exquirant, videantq; ne à regulis, quas  
Majores Sui ardenti religionis zelo præscripserunt,  
discedant, aut aliquid labis ac prophanitatis divino  
cultui aspergant. Id quod saluberrima in Archi-  
episcopatu Magdeburgensi Ecclesiarum & Schola-  
rum visitatio per spatium sexaginta quatuor anno-  
rum intermissa satis superq; testatur. Ibi enim non  
tantum leges necessarias generali decreto publico  
confirmatas præscripsit, sed & in tota regione ad ma-  
jorem Ecclesiarum excitationem certos libros, ni-  
mirum explicationem biblicam D. Osiandri & cele-  
berrimi Theologi D. Friderici Balduini explicatio-  
nes epistolicas S. Pauli, quibus assereretur cælestis ve-  
ritas, cavillationes autem & strophæ Sophistarum re-  
fellerentur, procuravit. Imo in nostra etiam Thurin-  
gia non ita pridem, ut in omnibus Parochiis varia  
scripta Theologica, imprimis Tomi B. Lutheri & in-  
comparabilis hujus æmuli D. Johannis Olearii (Cle-  
mentissimi nostri Principis Confessionarii) Ma-  
nuale, compararentur, ordinavit. Quas Hic suppli-  
cationes & preces publicas subinde instituit, nunc ubi  
mitiganda ira Numinis, ut in bellis nuperrimis Tur-  
cicis, & aliis arctis temporibus Reipubl; modo cum  
benignitati illius pro summis collatis beneficiis secu-  
lares canendæ laudes ac gratiæ essent? Quo fine  
hæc peregit alio, quàm simul ut suos efficeret pios,  
& Semetipsum probaret in pietate ferventem. Dies  
totos orare & semper assidere altaribus Sacerdotem  
quàm Principem deceat. Qui eum si suspicit cujus  
in terris sustinet vices & munere suo egregiè ac se-  
dulò fungitur, tum pius maximè Deoq; gratissim' est.  
Quid

Quid de Beatissima Coniuge, quam juxta immortalē Deum secundā pietate coluit? Qui inter Eos amor? Quæ charitas & reverentia mutua? Qui Animorum consensus & conspiratio amica perpetuò fuit? Quod nec in Principum laudibus ideò dissimulandum venit, quia discordiæ injuriæq; privatorū haud tantum Penatium mala existunt, sed Potentū quoq; palatia aliquando infestant; cum Livia aliqua Reipubl. gravis, aut Messalina impotens, vel Agrippina superba ac ferox principalem domum sepe convellit ac turbat. Sed quā diversam ab his, & aliam prorsus se gessit Nostra? vidimus nummum argenteum faberrimi operis, in quò Clementissimus Noster affectum suū in Conjugem Optimam DEO viventem sub Jacobi & Angeli luctantium inter se imaginibus, pulcherrimo expressit ænigmate.

Pietatem nunc sequitur Constantia, quæ ex illa nascitur quāq; nulla Principi convenientior censenda est. Non ingrata erit diexodus quam debeo Celsissimo meo Principi. En Constantissimum! En Marpesiæ cautis instar in decumanis quibusq; fluctibus persistentem Heroa! <sup>Cum</sup> Emilio Romanorū Paulo de constantia certè ex filiorū morte certamen certavit. Incredibile enim est quā æquo animo trium Illustrissimarum Filiarum ELISABETHÆ, CATHARINÆ & DOROTHEÆ, licet non uno die denatarum, tamen uno terræ demandatarum mortem toleraverit. O dolores immensos! ô vulnera cor ipsum lacerantia, lacinantia! Sed ecce adhuc majus! Non potest describi altitudo vulneris, quod licet ex

B

ino-

inopinata tamen beatâ Illustrissimæ Dominae Do-  
minæ ANNÆ MARIÆ &c. Conjugis pientissi-  
mæ morte persensit. Nam anno 1669. præter expecta-  
tionem Serenissimi Principis, Filiorum & Filiarum,  
omniumq; subditorũ qui in Hac Ipsa spem salutis suæ  
maximam collocarant (quem enim præterit huma-  
nitas associatâ liberalitate in egenos rarissima) bea-  
tam exhalavit animam, & ex huj' vitæ diurnis atq;  
miserandis erroribus, quibus omnes jaçtamur, in cœ-  
lestem patriam ad Majores laudatissimos, ad melli-  
tissimas, quas præmisit, Filias, evolavit. O dolorem o-  
mni dolore majorem! Movit quidem dolor Clemen-  
tissimum Nostrum, sed non permovit. Adeò rebus  
adversis Animosus atq; Fortis apparebat. Quis heic  
non exclamet? Deus Magnum illud & divinitati  
proximum Principi Nostrò indidit animum: Non  
permoveri. Nec ejusmodi Animus intolerantia  
laborum abest. Quot enim, bone Deus, cottidiè homi-  
num desideria audit? Quot supplicantium votis sub-  
scribit? Quot consulentibus respondet? Obire alia  
quæ Principis, curam provisionemq; distringunt assi-  
duè, ipsi volupe; imò dum decidit & absolvit, noctes nõ  
rarò diebus jungit; ipsa cœnandi & quiescendi tem-  
pora sæpissimè differt. Quid? quod malevolorum o-  
dia, obtreçtatorum calumnias, & quicquid cujusq; le-  
vissimi petulantia ac pravitas in magnas virtutes am-  
plissimaq; merita sibi solet permittere, æquisimò a-  
nimò superat ac vincit? Majoris constantiæ reputãs,  
calcare ac spernere talia, quàm ulcisci semper ac vin-  
dicare. Plura hic prætermittenda mihi sunt: dum  
mul-

multitudine obruor & festinando ad finem, brevitatem confector.

Munificentiam Ejus, sicô, quod ajunt, pede præterire religio mihi esset. Cui enim ignotus munificus Ejus animus, sed cum justo temperamento temperatus. Prudenter nempe didicit in bono Principe manus non ita requiri apertas; ut omnibus pateant; nec adeò occlusas, quò minus benignitas & liberalitas referari possit. Præmia tribuere Ipsi convenientissimum; sed tamen ex *Vlpiani* mente ἕτε πάντα, ἕτε πάντοτε, ἕτε παρὰ πάντων, neque omnia, neque quovis tempore, neque ab omnibus, nisi ut *Theodosius*, *Arcadius* & *Valentinus* Impp. voluerunt, benè merentibus. Testantur de hac Viri magni publicisq; negotiis Præfecti. Testantur pauperes atq; egeni, qui uti de Ejus Munificentia vixerunt, ita adhuc vivunt viventq; spero ulterius. Testantur sumtus in cultum tum Ecclesiasticum tum Politicū destinati. O quanta bonitas Principis est! qui detrahit sibi, quod donet aliis, qui fiscum suum pauperat, ut paupertatem suorum levet. Videte illustre *Leucopetræ* Augusteum à Serenissimo magnis sumtibus in honorem *DEI* ex-aedificatum. Aspiciate Castellum *Heldrung* contra hostium impetus, insultusq; munitissimum. Contemplamini alia, quibus tum extruendo, tum renovando immortalem posteritati relinquet famam, monumenta. Longum foret omnes, quæ satis notæ munificentiae species in hunc locum producere. Ad illam tantum ex quâ

vivo, me accingo. Et quâ, Reverendissime Princeps, celebrem Clementiam & Beneficentiam, quâ Parentes meos maclasti? qui Munificentiam, quâ me excipis? Lauti stipendii, quô in stadiô ingresso felicîus progredi & optatam metam aliquando possim assequi participem me facere voluisti. O gratiam omni gratiâ majorem! ô munificentiam omni munificentiâ superiorem! Quid huic gratiæ tuæ, Munificentissime Princeps, opponam, æquidem non video. Stupore nimio defixus tacitus hæreo, animo meo tantæ munificentiae non capiente materiem. Magno, inquam, sub gratitudinis pondere laboro, sed istud exonerare haud sufficio. Nec tamen despero, si olim Hecatomba destituti, molâ salsâ litarunt; si aliis vitio non fuit Deos colere quoquô modô possint: an mihi? erigor verbis Poëtæ:

In magnis sat erit voluisse, quid ergo?  
volebam?

Quibus ergo in præsentiarum destituor, religiosus & pauper καὶ εἰς καὶ ἀμαθίας περιπίπτωντων efficere curabo. Divinos interea vultus Tuos caputque Serenissimum intra pectoris mei secreta conditum perpetuò custodiens imaginabor. Ad hunc modum deprecatus flexis poplitibus veniam postulo, quod Serenissimam Celsitudinem Tuam condignè tantis beneficiis remunerari non potuerim. Hoc unicum addo, affecit me Celsissima Tua Serenitas in summo beneficio unâ hâc molestiâ, ut  
(quod

(quod ingeniosè ille ad Macedonum Regem) vivendum & moriendum mihi sit ingrato.

Quid nunc deniq, Auditores, de prudentiâ Ipsi, Rectrice Virtutum omnium & publici status munitamento præcipuo commemorem? Jam quantum est, quòd disciplinam fori & rationem judiciorum certis legibus ordinavit, ne vagaretur impunè licentia, & per damnosas moras suspenderentur lites ac traherentur in longinquum, aut æquè noxiâ celeritate præcipitarentur iniquè. Cum enim ante aliquot annos, nequicquam publicæ mercis tam venale esset, quàm Rabularū, qui plures ferè muscis, dum maxime caletur, perfidia. Prudentissimè Serenissimus Noster his jurgiorum Præceptoribus frena injecit, sagacissimè Prævidens, tantam illam gentem non, nisi & injuria populi ex clade & sanguine miserorum vitam degere posse, nec fidem integram manere, ubi magnitudo quæstum spectetur. Severissimè igitur, ut Causidici illi, linguam quæstuariam exercentes, ut alicubi Cominæus noster loquitur, ceu ignavum fucorum pecus à præsepibus apum ex foro arcerentur, injunxit; contra verò in singulis Præfecturis Advocatos juratos ordinarios, Æquitatis nimirum Studiosos & veri juris Sacerdotes anno hujus Seculi 65. laudabiliter & gloriosissimè constituit. Tales Reverendissimus Noster & Intimos & Camera & Justitiæ constitutos habet Consiliarios, in quos omnia tam arcana, quàm Reipubl. conducibilia rejicere potest. Tales, de quibus non injustè cum Rege Macedonico exclamat: Tutò dormivi, vigilaverunt

runt enim *Antipatres*. Tales, qui Principis gloriam consiliis atq; fide suâ augment, (nam Ministrorum Principis relucens integritas Domini claritudinem etiâ illustrat.) Tales deniq; qui invictæ incorruptæq; erga Principem suum sunt fidelitatis; ita ut si verè æstimare illos, qui jam sunt, volumus, fatendum sit, & Principem talibus Ministris & illos tantò Principe esse dignos. *Tanta* Ipsius eligendis ministris cura atq; providentia! *Quid* nunc vestiarias, quid sumptuarias leges, quas tulit, loquar? ubi luxum & voluptatum cupiditates invalescere contingit, quæ non emergere vitia simul & inolescere videas? Rectissimè hinc Clementissimus Noster insaniam deceptorum promulgatis in illam salutaribus Reipubl. legibus compescit, probè callens Reipubl. interesse locupletes habere subditos, omniumq; rerum venalium, quæ ad luxum, quæ ad pompam, quæ ad libidinem comparantur, semper utilissima esse & honestissima vectigalia. *O* ingentem & tanto Principi convenientem prudentiam! quæ necessitatem atq; usum publicum magis quàm splendorem atq; voluptatem respicit. *En* Principem omni Virtutum catervâ stipatum! *En* Principem Majorum famæ nequidquam cedentem! *En* vivam Illustrum Avorum & Proavorum ideam! *Quis* hîc mecum non plenâ voce intonet?

EN AUGUSTUM REDIVIVUM!  
EN REDIVIVUM PATRIÆ PATREM!  
VIVAT! VIVAT! VIVAT! AUGUSTUS!  
AUGUSTUS PATRIÆ PATER



*PATER ET PIETATIS AGALMA  
PULCHERRIMUM!*

*Dixi, Auditores omnium ordinum Venerandi,  
de Serenissimo Nostro ut potui, quandoquidem ut  
volui, nequivi. Mearum imò & Vestrarum nunc  
partium erit & gratias agere DEO pro tanti Prin-  
cipis conservatione & pro incolumitate Ejus ulterio-  
ri seriò ac submissè interpellare. Adeste itaq; me-  
cum Auditores, quorum Fides erga Principem Cel-  
sissimum variis hætenus sese prodidit indiciis,  
DEO pro beneficiis & numero plurimis & pondere  
maximis, quæ in nostrum Principem contulit, re-  
fertis grati animi pignoribus offeramus mentes. In-  
simul piè & devotè apprecantes, ut quæ in Ecclesi-  
am benignè, in Regimen liberalissimè collocavit, im-  
posterum quoq; Ipsi propria & perpetua esse velit.  
Tibi ergò, DEUS Ter Optime Ter Maxime, grati-  
tudinis aram exstruimus. Tuâ benedictione quisq;  
nostrum sub ficu suâ fructus colligit utilissimos. Tuâ  
gratia uti vivimus, ita vivimus. Tuâ potentiâ in  
his Terris sub Diis & scutis harum Provinciarum:  
sub Rutarum fruticibus longè, lateq; diffusis; sub  
Vindicibus & Pastoribus Populi Tui, hoc est, po-  
tentissimis Saxoniae Principibus ac Ducibus, & ex  
his præcipuè cujus Natalem hodie celebramus, AU-  
GUSTO, tuti incolumesq; habitamus. Tuâ Sapi-  
entiâ, vera Religio sarta tecta fuit conservata &  
propagata. Pro tenebris plusquam Ægyptiis Sol  
justitiæ sempiternus: pro illumi & profundâ nocte  
Lux magna nobis exorta est. Et quæ sub hoc Pa-*

trix Patre in nos non redundarunt, ex Tua, DEUS,  
benedictione bonâ? Quæsumus, conserves Augu-  
stissimum Hunc AUGUSTUM & Celsissimos  
Principes ac Dominos, Dominos Filios, Filiasq;  
Illustrissimas. Largire Iphis vitam prolixam, Impe-  
rium securum, Domum tutam, Exercitus fortes, Se-  
natum fidelem, Populum probum, Orbem quietum,  
& quæcunq; hominis ac Cæsaris vota. Hæc si no-  
bis, uti nulli dubitamus indulseris, sub Augustissi-  
mo AUGUSTO augustè satis vivemus. En  
vivum Religionis Patrocinium! Honestati Præsi-  
dium! Musis Domicilium! Afflictis Refugium!  
Pietati exemplum! Vitiis repagulum! O vivat!  
vivat! cumq; eo in Ecclesiâ Athanasii & Grego-  
rii: In Politiâ Josaphati & Constantini: in Oeco-  
nomiâ Abrahami & Josephi. Averte autem in-  
dulgentissime DEUS, à Serenissimorum Princi-  
pum nostrisq; omnium jugulis copias Circassiorum,  
à Cervicibus harpas Turcarum. Abige ex Hori-  
zonte Hallense, Thuringiaco, omniq; Christiano  
exitialem illum trigonum, quo Bellonæ Penia nupta  
teterrima filiam Pestem excludit, quâ vel amœ-  
nissimum Tibur in Sardiniam concidit. Serva AU-  
GUSTUM, Optume JESU! Jubeq; hunc Nata-  
lem deinceps multorum per annorum seriem & de-  
cursum Reverendissimo Principi felicè, Patriæ sa-  
lutarem, omnibusq; ve bonis auspiciatissimum recur-  
rere. Hæc vota nostra, hæc suspicia nostra,  
ac desideria Auditores Optumi. Neq; ve dubita-  
mus, quin hæc vota nostra placidum & propitium  
sint

*sint habitura DEUM: cum omnis pietatis in  
Illustrissimo Principe nostro & virtutis non saltem  
primordia, sed etiam pulcherrimas imagines & effi-  
gies lucidissimas hinc inde abunde deprehendamus.  
Serua, iterum exclamamus serua, DEUS benignis-  
sime, quem nobis dedisti AUGUSTUM! Tege  
Ecclesiam, rege Politiam, rem familiarem fecun-  
da! Fac ut Tibi sit gloria, hostibus ignominia,  
nobis saluti. Denique ultimas, maxime DEUS, ex-  
audi has preces! VIVAT AUGUSTISSI-  
MUS AUGUSTUS DOMINUS  
MEUS CLEMENTISSIMUS! VI-  
VAT! VALEAT! VIREAT! VIGE-  
AT! SACRO-SANCTA TRINITAS  
EJUS MANEAT HERE-  
DITAS!*

D I X I.



Ad

Ad  
*Reverendissimum atq; Serenissimum Principem  
ac Dominum*

**DN. AUGUSTUM,**

Archiepiscopatus Magdeburgensis Postulatum  
Administratorem, Ducem Saxoniae Juliae  
Cliviae ac Montium &c.

*Dominum suum Clementissimum*

**R**erum certa salus nostrarum, maxime PRIN-  
CEPS,

Sospite quo, placidum credimus esse DEUM.  
Dum Lux alma Tibi, Lux sacratissima splendet,  
Omnis & ad reducem dum litat Ara Diem.

Dat Populus, dat gratus Eqves, dat thura Senatus,  
Dignaq; tam magno Principe dona parant.

Vox diversa sonat, cunctorum est vox tamen una:  
*Cum verus Patriae diceris esse Pater.*

Hanc vocem ingeminat simul hic ad Plisidos un-  
das

*Danderstadiadae* Musa canora Tui.

Quid tibi de Sanctâ credis pietate Tuorum?

Principis est virtus maxima, nosse suos.

*L. Johannes Olearius, P.P.  
Academ. Lipsiens. h. t.  
RECTOR.*

**F I N I S**

IN ALGISTUM

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



FK Xa 43/17

nc

lbrm

Pon Xa 4317, FK

ULB Halle  
003 851 710

3







GENIUS  
REVERENDISSIMI SE-  
RENISSIMIQUE PRINCIPIS  
AC DOMINI

DN. A. LICHTI,

PRIMA  
ARCHI-EP  
GENSIS PO  
DUCIS SA

MANIÆ,  
MAGDEBUR-  
NISTRATORIS,  
CLIVIÆ AC

PA

RIÆ

FO

MI  
II

IN I  
DIE

IMI

A. C.

ALIBUS  
GUSTI

LVII. VI

XXI.  
ENTIBUS

ALM.

PSIENSI

MAJORI I  
SOLE

COLLEGIO  
EATUS

HE

ADIO,  
O.

LIPSIÆ,  
STANNO COLERIANO.

